

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt XXVI. Honorius III. Archiepiscopis, & Episcopis, in quorum
diœcesibus moasteria, & Prioratus a Duniacensi monasterio subjecta
consistunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

lum, vel vicum advenerint, si forte locus à divinis sit officiis interdictus, in eorum secundo adventu semel in anno aperiantur Ecclesiæ, ut exclusis excommunicatis, divina ibi officia celebrantur: sic intelligi volumus, quod in eadem civitate, aut castro, vel villa una tantum Ecclesia ejusdem Ordinis fratribus semel, ut dictum est, aperiatur in anno; quia licet pluraliter dictum est, quod in eorum secundo adventu Ecclesiæ aperiantur; non tamen ad Ecclesias ejusdem loci, quas visitarent, sed prædictorum conjunctim referendus est intellectus: ne si hoc modo singulas eiusdem loci visitarent Ecclesias, nimium vilipendi contingere sententiam interdicti. Qui vero contra declarationes prædictas quicquam sibi præsumperint usurpari subjacent disciplinæ.

N O T A E.

- a) **Eodem.**) Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 7. & textus hic reperitur in ipso Concilio Lateran. celebrato sub Inno-
centio III. can. § 7.
b) **Anmittere.**) Cap. ubi ista 7. 74. dict. cap. privile-
gium 63. 11. quest. 3. I. quisine 38. ff. de negot. gest.
quia pretextu privilegiorum aliena usurpare ab-
sonum est. l. 2. Cod. de privil. schol. Auth. demandat.
princip. §. delinquentes, cap. Abbates 25. de V. 8. Illu-
strant Belluga in specul. Princip. rubric. 35. num. 12.
Carolus Tapia in l. final. C de constit. Princip. cap. 7.
part. 2. num. 1. Martinus Magerus in advocat. ar-
mata, cap. 16. a num. 637. Altamiran. in rubric. de
filii offic. cap. 4. num. 45. non tamen ipso jure per

abusum amittitur privilegium, sed sequutâ sen-
tentia: quo modo textum hunc, & in cap. cum &
plantare, hoc tit. ibi: Privilegium omnino mercatur
amittere, qui permisit sibi abutitur libertate: & D.
Augustin. serm. 247. de tempore, ibi: Iudicio legum
jure ab obtenta dignitate deiici, qui privilegio sibi con-
cessit abutitur, exponit Bruno Chaffaing. de privil.
regul. tract. 2. cap. 5. propos. 3. & Gibal. tom. 2. scient.
can. lib. 7. cap. 9. quest. 4.
c) **Excommunicati.**) Qui arcendi sunt à sepul-
tura ecclesiastica, iuxta tradita in cap. sacris de se-
pultur.
d) **Fratribus.**) De quibus egi in cap. 3. §. de
confratribus, hoc tit. & credo Patres Concilij La-
teran. respexisse in praesenti canone ad eos con-
fratres Ordinis Hierosolymitani.

3.

C A P V T XXV.

Idem ^a in codem.

Quod nonnullis est religiosis indulatum, in favorem Pontificalis officii ad Episcopos extensem concedimus, ut cum commune terræ fuerit interdictum, ex-
communicatis, & interdictis exclusis, possint quandoque januis clausis, suppressâ
voce non pulsatis campanis, divina officia celebrare: nisi ipsum hoc illis expref-
se fuerit interdictum. Verum hoc illis concedimus, qui causam aliquam non præ-
sisterint interdicto, nec quidquam fraudis ingesserint, tale compendium ad iniquum
dispendium protrahentes.

N O T A E.

- a) **Eodem.**) Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 8. & reperitur textus hic in ipso Concilio Lateran. part. 58. In praesenti

id privilegio conceditur Episcopis, quod hodie
jure communi omnibus competit, ex cap. finali, de
sent. excom. in 6. ut dicimus in e. quod in te de pen. &
remiss. ubi commentator de interdicto, & ejus
effectibus dabimus.

C A P V T XXVI.

Honorius III. *Archiepiscopis, & Episcopis, in quorum diocesis
monasteria, & Prioratus Duniensis monasterio
subjecta constunt.*

Quantò amplius. *Et infra:* Sanctè dilecti filii Abbas, & conventus Duniensis
gravem nobis querimoniam obtulerunt, quod quidam vestrum, & vestrorum
officiales, cù in eos, & sui Ordinis monachos non possint excommunicationis, &
interdicti proferre sententias, eo quod super hoc Apostolica Sedis privilegiis sint
muniti, in eos qui molunt in molendinis, vel coquunt in furnis eorum, quique ven-
dendo, seu emendo, aut alias eis communicant, sententias proferunt memoratas,
& sic Apostolicorum privilegiorum non vim & potestatē, sed sola verba servantes,
dicti Ordinis monachos quodā modo excōmunicant, dū eis alios cōmunicare non
sunt

finunt. Ex quo illud etiam evenit inconveniens, ut ipsi monachi quantum ad hoc judicentur judicio Iudeorum, & qui eis communicant in praedictis maiorem excommunicationem incurvant, quam etiam excommunicatis communicando fuerant incursuri. Nolentes igitur hanc crebris ad nos clamoribus jam perlata ulterius sub dissimulatione transire, vobis universis, & singulis mandamus, quatenus hujusmodi sententias in fraudem privilegiorum nostrorum de cetero non feratis; quia si super hoc ad nos dehuc clamor ascenderit, non poterimus conniventibus oculis pertransire, quin promulgatores talium sententiarum severitate debita castigemus.

N O T A E.

1.

Du^miacensi.) Ita legitur in quinta compilatione Honorii III sub hoc tit. cap. 1. sed rectius in hac sexta legitur Cluniacensi; Cluniacense enim monasterium, a quo Congregatio Cluniacensis Ordinis D. Benedicti, cent. 5. anno 930. construxit Guillelmus Due Aquitanus anno 910. Habuit prioratus, & monasteria sub sua ditione fere in omnibus Regnis, quorum catalogum refer Ypes in chron. D. Benedicti, cent. 5. anno 930. de cuius progreſſu & magnitudine plura conſeruent Chropius lib. 2. sacr. pol. tit. 6. Ypes ubi proxime, & nos in cap. 51 de electrone. Huic monasterio varia, & ampla privilegia conſeruerunt Romani Pontifices, ut constat ex Bulla Pij IV. quæ ext. in appendice dictæ cent. 5. inter qua illud præcipuum fuit, ut monachi Cluniacensi Congregati excommunicari, aut interdicto subiecti ab Episcopis ordinariis non posse: sed Episcopi & eorum Vicarii in fraudem hujus privilegiū sententiam excommunicationis proferebant non directe in ipſos monachos, sed indirecte, ita ut qui cum eis communarentur in molendinis, furnis & alijs locis, ubi pro humana necessitate monachi convenire solebant, majori

excommunicatione afficerentur, in fraudem ipsius privilegii: in quo graviter peccabant, non solum quia quod una via illis prohibebatur, alia sequi intendebant, contra textum in cap. tue, cum vulgaris, de procurat. verum etiam quia cum illis monachis se cerebant tanquam cum Iudeis: si quidem Iudei, quia excommunicari non possunt directe, quia extra Ecclesiam sunt, tamen ut ipsi punitant excommunicant fideles Catholici cum ipsis communicantes, ut probavi in cap. de Iudeis, cap. quant. de usuris. Etiam severius se cerebant cum ipsis monachis, quam cum aliis lucis excommunicationis, liquidem communicantes cum excommunicationis regulariter minori excommunicatione ligantur, cap. significavit, ubi dicimus, de sent. excom. Ipsi autem majori excommunicatione feriebant accedentes ad furnos, & molendinae aporum. Vnde recte Honorius in presenti iubet Archiepiscopis, & Episcopis, in quorum diecibus monasteria Cluniacensi monasterio subiecta consistunt, ne deinceps simili indirectione excommunicatione in praedictos monachos uterentur.

C A P V T XXVII.

Idem. B. quondam Anglorum a Reginæ illustri.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli literati, quos nec habitus, nec tonsura clericos profitantur, in terra tua jurisdictione subjecta degentes, cum comprehenduntur in aliquibus forisfactis, ut tuam jurisdictionem eludent, & debitam pro delictis ultionem evadant, assilunt, seu etiam resumunt tonsuram abjectam, seu habitum clericalem, licet ante pro laicis ab omnibus haberentur; & sic eorum delicta maneant impunita. Ne igitur tonsura, vel habitu sic resumpto malitia foveatur, si tuam jurisdictionem exerceas in hujusmodi delinquentes, cum finetonsura, & habitu in delicto fuerint deprehensi, & quoniam interducimus tolerandum, cum malitiis hominum indulgeri non debeat, sed potius obviari.

N O T A E.

1.

Regina.) Ita etiam legitur in quinta compilatione, sub hoc tit. cap. 2. & in c. ex parte, de clericis, ubi similis quæſtio de his clericis in minoribus ordinibus constitutis habitum, & tonsuram deserentibus, & reassumentibus agitur.

b Terra tue.) Cenomanensii videlicet urbe, que ad dotalitum ipsius Reginæ spectabat, ut notavi in dict. cap. ex parte.

c Foris factum.) Forfacum, seu forisfactum, Gallice sumunt pro gravi delicto, ac propriè quidem pro eo, cuius causa aliquis sit fortis, hoc est amittat privilegium, vel etiam jus aliquid exigendi generatione, ut sumunt apud Bollandum in vices Sanctorum, die 4. Ianuarii, ibi: illa vero videns hos panes conversos in lapides, geniculando veniam

ad Deo pharæilde de forefactio suis petit. Stricte apud Matthæum Parisium anno 1114. ibi: Catalogus, qui sunt in forisfacto Regis. Accipit etiam pro multa pecunaria pro delicto irrogata, ut in legibus Burgorum, quas tulit David primus ejus nominis Scotia Rex, cap. 42. Forisfactum in burgo non excedit octo solidi. Item cap. 71. Qui alter faciendo convictus fuerit, dabit plenarium forisfactum. Et cap. 74. Castigetur per Baillivos burgi pro forisfacto suo primo, secundo, tertio. Et cap. 88. Dabit octo solidos ad forisfactum. Inde forisfacere significat contra leges aliquid admittere, quod amissione vita, bonorum, vel privilegi soleat puniri. Carnotensis epist. 173. ibi: Cum predictus Ivo Rodrocum Dominum suum diffiduciasset, & predictam ejus prior cepisset, & homines suos ea die, quæ caput esset in vinculis haberet, & ad forisfacendum ei dem